



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopus episcopum alium nin conculcet. cxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

bellantis aduersum te. Omnes ergo qui eis contraeunt, ita damnatos & infames vsque ad satisfactionem monstrabat: & nisi conuerterentur, à liminibus Ecclesiae alienos esse praecipiebat.

Quod episcopi clauis sint Ecclesiae, & habeant potestatem claudere caelum, & aperire portas eius. Cap. CXXV.

Sanctam ergo Ecclesiam immaculatam omnes seruare debere euangelizabat, cuius clauis episcopos esse dicebat. Ipsi enim habent potestatem claudere caelum, & aperire portas eius, quia clauis caeli facti sunt. Amouere autem eos neminem debere docebat quia oculi domini sunt, & qui eos tangit, tangit pupillam oculi eius. Et quanta poena dignus sit, qui eos scandalizat, ipsum dominum docuisse dicebat, ubi ait: Qui scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Quod episcopus dominus ad glorificandum se elegerit, & q omnes principes terrae eis obedire oporteat, & capita sua submittere. Cap. CXXVI.

Ad glorificandum se, & diuina mandata seminanda & euangelizanda episcopos dominus elegit, & non ut prohibeantur, aut perturbentur aiebar. Quoniam qui eos laedit, eum laedit, cuius legatione funguntur. Praedicare eos assidue, & mandata domini sine intermissione annunciare rogabat. Opera eorum bona coram hominibus monstrare, & conscientiam bonam coram deo habere insinuabat.

De episcopis quod se inuicem diligere debeant. Cap. CXXVII.

Episcopos ergo vice apostolorum gerere dominum docuisse dicebat, & reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros debere insinuabat: & si quis aliquem ex his scandalizaret, grauissimam sibi poenam inferri debere praedicabat. Custos se inuicem diligere, & adiuuare debere, & neminem ab adiutorio fratris se subtrahere instruebat.

Vt episcopus episcopum alium non conculcet. Cap. CXXVIII. Ex concil.

Vt nullus Episcopus alium episcoporum conculcet, eumque calumniari vel iniuriari praesumat. Quod si fecerit, gradus sui periculo subiacebit.